



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Caesarea, Uvlgo Kayshaim Ordinis Cyster ciensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

- XXX. FRIDERICVS II. *Starzhauser*, tricesimus Abbas, primus infulatus à *Calisto* Papa 3. an. C. 1452. rexit annos 23. Mens. 8. ob. an. Christi 1474. 3. Non. Maij, in die *S. Gotthardi*.
- XXXI. LEONARDVS rexit 6. annos. negligens fuit, vinoque deditus. Obijt anno salutis 1480. 7. Kal. Iulij, altera die post *Vrbani*.
- XXXII. IOANNES secundus, cognomento *Machterstorfer*, diligens fuit, præfuit annos 12. Menses 8. dies 20. Obijt à nato Christo anno 1493. 16. Kal. Martij, in die *Valentini*.
- XXXIII. WOLFGANGVS *Peffenhauser*, præfuit annis 12. Obijt anno Christi 1505. *Purificationis*.
- XXXIV. IACOBVS alienigena, ob discordiam ex *Maria cella* translatus, imperitus fuit rei familiaris. Sexto anno, hoc est Christi 1511. amarus fuit.
- XXXV. LEONARDVS secundus, cognomine *Aichstetter*, antea Parochus, amoto *Iacobo* electus est, debita dissoluit, oppignerata redemit, Monasterium ruinam moritans instauravit restituitq;. Eius iussu hic libellus Anno Christi 1524. scriptus est, Mense Maio.

CAESARE A, VVLGO KAYSCHAIM

Ordinis Cisterciensis.

KAYSERSHAIM, vulgò Kayshaim, Latine Cæsarea, in Ducatu Neuburgensi & Comitatu Graisspaceñ, magnificum & opulentum Monasterium, Anno 1133. fundatum ab Heinrico, Com. de Lechsmund & Graisspach, & eius coniuge, Domina Loykarda, quæ ibi cum marito in eodem tumulo sepulta est, & à filij, Heinrico secundo & Wolgerado, &c. Auent. lib. 7. fol. 789. Qui de his Comitibus, ac de hoc Monasterio plura videre cupit, videat librum meum Genealogiarum Bauaricarum, ac Casparum Bruschi in centuria sua Monasteriorum Germania Quia ego neque diplomata, neque Annales illius Monasterij vidi, nolui ab alijs scripta cum tædio hic reperere.

SVNT autem ibi sepulti Nobiles, primò fundatores, Comites de Lechsmud & Graisspach, Com. Nysnenses, qui defunctis Greisspaceñ, successerunt in illo Comitatu, Comites Helfenstain. & Otingenses, Barones à Gundelfingen, Marschalci à Pappenhaim, in Hoehenreichen, Pincernæ à Geyrn, Rechenberg de Treuchling, die *Vetter mit der Eilgen*/de Wembding, & alij, &c.

ADDITIONES.

LITERÆ FVNDATIONIS.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis eiusdemque inseparabilis Vnitatis, *Waltherus* Dei gratia *Augustensis* Ecclesiæ Episcopus Catholicus. Decet nos honorem, quem gerimus nomine, moribus exhibere, colere, & obseruare iustitiam, qui suscepimus locum ad æquitatem proferendam, ne fiat exemplum prauum, qui electus ad laudabile cognoscitur institutum, sed per virtutis exemplum, luceat gratia dignitatum. Ideoq; libenter omnimodis præbemus assensum, quotiens iusta est vox poscentium, nec à nobis difficile prodibit beneficium, quod non patitur largitate detrimentum. Eapropter notum sit omnibus tam futuris, quam præsentibus Christi fidelibus, qualiter Comes *Heinricus* de *Lechsgemunde*, & vxor eius comitissa *Luicardis*, & filius eius *Volradus*, consensu

sensu & collaudatione filiorum & filiarum, nec non vniuersorum legitimorum eiusdem prædij cohæredum suorum, quoddam Cœnobium in proprio fundo suo, quod *Kayshaim* dicitur, construxerunt; Et vt puritas Regulæ sancti *Benedicti*, & Ordo *Cisterciensis* ibidem perpetuo conseruetur, firmauerunt. Deinde præfatum Cœnobium cum agris, siluis, campis, pratis, pascuis, viis & inuis, cum omnibus denique appendiciis, seu appertinentiis suis, per manum cuiusdam nobilis & illustris viri *Hardenidi de Graiffenspach*, ad summum altare sanctæ matris *Augustensis* Ecclesiæ jure legitimo tradiderunt, ita planè, vt fratres eiusdem Cœnobij, Ecclesiæ eidem talentum ceræ annuatim persoluant, nullumq; Aduocatum, præter filium Virginis, habeant. Nec cuiquam Regum, Episcoporum, Principum, nec non eiusdem loci fundatorum, seu posterorum suorum, quicquam in præfato loco ordinare, immutare, constituere, destituere, vel substituere, nisi rogatu Fratrum, liceat, vt quietiquietè, & sine omni perturbatione, laudibus diuinis inseruiant: Præterea si quis de nostro Episcopatu ibi sepeliri, vel si qui ministerialium Ecclesiæ nostræ illis bona, vel prædia sua, pro expectatione futurorum, conferre voluerint, vtrisque licere ratum duximus, & jure perpetuo firmamus. Sanè memoriæ commendandum, quod eiusdem loci Fundatores, de silua, quæ vulgò *Haidvvang* dicitur, quantum postulat necessitas fratrum liberè, & sine omni posterorum contradictione, dederunt perpetuò possidendum. Et vt hæc omnia rata, atque inconuulsa permaneant, hanc ipsis chartam scribi iussimus, quam sigilli nostri impressione muniuimus. Quæcunque ergò Ecclesiastica, secularisue persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertioe commonita, se à quolibet eorundem Fratrum iniusto grauamine, non correxerit, potestatis, honorisq; dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere pro certo cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, nisi pœnitendo resipiscat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia pacis æternæ inueniant. Amen, Amen, Amen. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini Millesimo centesimo trigésimo quinto, Indictione duodecima, vndecima Calend. Octob. in Ciuitate *Augusta*, præsentè Clero comprouinciali eodè tempore ad Capitulū congregato, præsentè Papa *Innocentio*, sub Imperatore *Lothario*, regnante Christo feliciter, huius rei testes sunt hi, *Valscalk* Abbas sancti *Vdalrici*, *Gotboldt* Abbas de *Echenprunnen*, *Dieterich* Abbas de *Werde*, *Viricus* Præpositus de *Vrsperch*, & alij multi. *Hilteprandus* Præpositus, *Conradus* Vicedominus, *Egelvart* Decanus, *Conradus* Archipresbyter, *Hermannus* Custos, *Hermannus* Scholasticus Canonici, & alij multi, *Bertholdus* de *Bertholdeshaim*, *Hartnid* de *Graiffenspach*, *Ratole* de *Emichfeshaim*, *Ruprecht* de *Iringeshaim*, liberi & alij multi, *Witegon*, Præfectus, *Ebo* *Billunc*, *Amelio* *Wicman*, *Benico* *Karl*, *Regilo* *Harvvard*, ministeriales & alij multi.

Sententia Concilij Constantiensis.

Visa oblatione pro parte Domini *Luduvici* Ducis *Bauaria*, Domini quondam *Stephani* *Bauaria* etiam Ducis, nati, de parendo nostris mandatis statim cum effectu, sine lite, & sententia super omnibus, in monitorio contra eum ad instantiam Abbatis & Conuentus Monasterij *Casariensis*, Diocesis *Augustensis*, decreto, contentis, visisque aliis actis causæ dicti Monasterij, meritisque illius diligenter attentis, habitaque inde matura deliberatione cum pericis, ordinamus, & dicto Domino Duci *Luduvico* sub excommunicationis poena per eum

Metrop. Salisb. Tom. II.

T

totiens,

totiens, quotiēs contrariū fecerit, seu mandatis nostris infra scriptis, nō paruerit cum effectu, ipso facto incurrendæ, judicialiter præcipim⁹, & mandam⁹, vt seq.

Primò; quòd ipse Dominus Dux *Ludovicus*, ipsiusq; Hæredes Abbatē, & Cōuentū dicti Monasterij, res, possessiones, bona, & jura eorū, & dicti Monasterij, hominumq; Rusticorū, seu Colonorū ipsius, pacificè & quietè, absq; vlla molestia, quantū ad eos pertinet, & infuturū pertinebit, sicut requirūt sanctiones Canonice, possidere permittāt, nullaq; in debita onera, seu grauamina in dicto monitorio per ipsos Abbatē, & Cōuentū prætenfa, & designata, eidē Monasterio, personis, rebus, & bonis, seu juribus prædictis, quacunq; occasione superioritatis secularis, per se, aliū, siue alios inferāt, seu inferri faciāt, aut quantū ad eos pertinet, & in futurū pertinebit, inferri permittant, omneq; arrestū, seu impedimētum in bonis, possessionibus, rebus, & juribus prædictis, per ipsū Ducē, seu alios auctoritate sua appositū, dictus Domin⁹ Dux statim realiter, & cū effectu amoueāt, & amoueri faciāt. Itē, quod in fauorē, & augmentū diuini seruitij in dicto monasterio fieri consueti, & auctore Domino in posterū faciēdi, nec nō pro omnib⁹ damnis, interessē, & expēsis per Abbatē, & Cōuentū prædictos, ex causis in dicto monitorio designatis, præteritis, & etiā pro omni alio jure, & interessē, quæ dicti Abbas, & Cōuentus aduersus dictū Dominū Ducē, seu hæredes suos prætereundere possunt, vsq; in præsentē diē, inclusis expēsis causæ huiusmodi corā nobis factis, dict⁹ Domin⁹ *Ludovicus* Dux det, & realiter cū effectu soluat, hic in hac ciuitate *Constantiensi*, Abbati & Cōuentui prædictis septē millia florenorum de Rheno, videlicet duo millia infra quindecim dies à dato nostri præsentis mādari cōputandos, & residuum, videl. quinq; millia in festo natiuitatis Domini proxime venturo, quibus solutis, sint partes prædictæ ab omni lite, & processu dictæ causæ totaliter liberatæ, & omnib⁹ præmissis debitis, quærellis, & altercationib⁹ finis totalis ipso facto imposit⁹. Ita quod ratione monitorij, seu causæ huiusmodi, vel processus illius, partes ipsæ, seu earum aliqua, earumq; hæredes, seu alterius earundem, per quācunq; potestātē Ecclesiasticā, vel secularē nullo vnquā tempore valeant, seu valeat molestari. Et ad maiorē præmissorum firmitatē, ordinamus, quod præmissa, per sacrum generale *Constantiense* Concilium, & sub bulla eius, Sigilloq; Domini Regis Romanorum & dicti Domini Ducis roborētur, & confirmentur. In quorum omnium, & singulorum fidē, & testimonium præmissorum. Nos; Ioānes Patriarcha Antiochenus, Ioānes Episc. Lubecensis, & Robertus Apeltō Canonic⁹ Eboracensis, præsentē literas, siue præsentē publicum instrumentum huiusmodi nostrā prononciationē, seu sententiā in se continentes, siue continens, exinde fieri, & per Notarium publicum infra scriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostrorumq; sigillorum ex cōmissione Domini Gundisalui Collegæ nostri prædicti, nobis, vt præmittitur, facta, & propter absentia præfati Domini Casparis Abbatis Perusienfis, etiā Collegæ nostri, fecimus appensione cōmuni. Lecta, lata, & in scripturis promulgata fuit hæc præfens prononciatio, siue sententia, per nos Ioānem Patriarchā, Iudicē, & Cōmissarium antedictum, præfatorum Ioānis Episcopi Lubecensis, Casparis Abbatis Perusini, & Roberti Apeltō Collegarum nostrorum, omnium consensu vnanimi ad hoc adhibito, in ipsamq; sententiā seu prononciationē consentientium. Constantiæ, prouincię Moguntinēsis, in Ecclesia maiori, & in loco sessionis, per nos alias deputatis, nobis inibi hōra vespèrarum ad iura reddēdum in loco nostro solito, pro tribunali sedentibus, sub anno à Natiuitate Domini, Millesimo, quadringentesimo, decimo septimo, Indictione decima, die Sabbati, vicesima quinta mensis Septembris, Apostolica sede vacante, præsentibus ibidem.

Venerabilibus viris Magistro Conrado de Susaco in Theologia, Domino Petro Helburg

Helburg decretorum, Doctoribus, Petro de Lamburga Licentiatu in decretis, necnon Vlrico Wernheri, Canonico sancti Ioannis in Haug, extramuros Her-
bipolenses, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Ecce ego Gumbertus Fabri de Wildungen Clericus Moguntinensis Diocesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, prædictorumq; Reuerendissimorum, ac Venerabilium patrum, & Dominorum, Dominorum Ioannis Patriarchæ Antiocheni, Ioannis Episcopi Lubecensis, Casparis Abbatis, Guldifalui, & Roberti Apelton, Commissariorum, & huiusmodi causa coram eis scriba, prædictis Commissioni, præsentationi, testium productioni, & examinationi, monitioni, submissione, potestatis traditioni, & pronunciationi, omnibusque aliis, & singulis præmissis, dum sic, vt præmittitur fierent, & agerentur, vnà cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audiui. Ideoque hoc præsens publicum Instrumentum huiusmodi pronunciationem in se continens, per alium, me aliàs occupato, scriptum, demando ipso-
rum Dominorum Iudicum, & Commissariorum exinde confeci, publicati, & in hanc publicam formam redegi, signoque, & nomine meis solitis, & consuetis, vnà cum præfatorum Dominorum Ioannis Patriarchæ, Ioannis Episcopi Lubecensis, & Roberti Apelton, in absentia Domini Casparis, ex Commissione Domini Gundifalui Collegarum suorum, Sigillorum appensione consignauit, rogatus & requisitus, in fidem, & testimonium omnium, & singulorum, præmissorum: Insuper recognosco, quod præfatus Dominus Robertus Apelton huiusmodi Instrumentum sui signeti, quo ipse ad sua secreta signanda utitur, propter carentiam Sigilli proprii, vnà cum præfatis Dominorum Ioannis Patriarchæ, Ioannis Episcopi Lubecensis, suorum Collegarum, Sigillorum appensione communiuit, & roborauit, in fidem præmissorum, licet in Instrumento superius descripto expressum sit, quod eius Sigillo communiri volebat.

Copia Instrumenti.

Beeder Herzog Ludwig in Bayern Batters / vund
Suns acceptation der Constanzischen Verthl.

IN nomine Domini Amen. Anno à natiuitate eiusdem Millesimo, quadringentesimo, vicesimo tertio, Indictione prima, die verò veneris vndecima, Mensis Iunij, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini, Domini Martini diuina prouidentia Papæ Quinti, anno sexto, hora tertiarum, vel quasi, coram Reuerendissimo in Christo Patre, & Domino, Domino Branda, miseratione diuina tituli S. Clementis, S. S. R. Ecclesia Presbytero Cardinali, (Placentio vulgariter nuncupato) Apostolicæ sedis Legato, ad infra scripta sufficientem potestatem, vtasseruit, habente, inque mei Notarij Publici, & testium infra scriptorum, ad hoc vocatorum specialiter, & rogatorum, præsentate Illustri Principe, & excelso Domino, Domino Ludovico Iuniori, Comite Palatino Rheni, Duce Bauariae, & Comite Grayspach principali, principaliter pro seipso, & sui genitoris, Illustris Principis, & excelsi Domini, Domini Ludouici senioris, Comitum Palatini Rheni, Ducis Bauariae, & Comitum Mortani &c. etiam principalis, procuratorio nomine, prout de suo procuracionis mandato mihi Notario infra scripto legitima extitit facta fides, ex vna, & Venerabili, ac religioso viro Domino Craffone de Höchstetten, Monacho, & Bursario Monasterij Casariensis, Ordinis Cisterciensis, Augusten, diocesis, Venerabilium & Religiosorum virorum.

Actrop. Salsb. Tom. II.

T 2

Domi-

Dominorum Abbatis & Conuentus dicti Monasterij nomine, vt asseruit, partibus ex altera, personaliter constitutis, ac ipsis hinc inde partibus in causa, & causis inter easdem quacunque occasione pendentibus, finem, & concordiam desiderantibus: nec non ab ipso Reuerendissimo Patre Domino Cardinali, & Legato, cui has causam, & causas simpliciter ad manus ei omnimodè tradiderunt, concordiam, finemque bonum sibi in huiusmodi causa, & causis dari, & fieri petentibus, idem Reuerendissimus Pater, Dominus Cardinalis, & Legatus asserens, se etiam per Serenissimum Principem, & Inuictissimum Dominum, Dominum *Sigismundum*, Romanorum, & Hungariae, & Bohemiae, &c. Regem suis literis fore requisitum, vt finem litibus inter prefatos Dominos Duces, & Abbatem, & Conuentum existentibus imponeret, ipsosque Dominos Duces ab excommunicationis, aggrauationis ei reaggrauationum sententiis in eos, ad supradictorum Dominorum Abbatis, & Conuentus instantiam quacunque auctoritate latis, & promulgatis, absolueret, vt tandem absoluti in subsidium fidei Catholice, pro qua dictus Reuerendissimus Pater, Dominus Cardinalis, & Legatus Principaliter missus extitit, sede ab antedicta se preparare possint, ipsas hinc inde partes sic, vt præmittitur, instantes & petentes, in prefatis causa, & causis concordare, & amicabiliter componere volens, disposuit, & ordinauit ea, quæ sequuntur, in hunc modum.

Primò; quòd ipse Dominus Dux *Ludouicus* Iunior, de præsentis omnia grauamina ipsis Dominis Abbati, & Conuentui per ipsum, & suum Genitorem, supradictum, Officialesque & Nuncios suos imposita reuocare, & pro se principaliter, & nomine procuratorio, quo supra, juramento, & fide data, quòd non alia imponi de nouo permittat, permittere debeat, & mandet ipsis officialibus, quòd ipsa grauamina amoueant. Secundò; quòd permittere debeat suo juramento medio, absque omni difficultate idem Dominus Dux *Ludouicus* Iunior sui & quo supra, procuratorio nominibus se satisfacturum ipsis Abbati, & Conuentui ratione sententiæ in sacrosancto generali *Constantiensi* Concilio contra ipsos Dominos Duces, & pro parte dictorum Dominorum Abbatis & Conuentus latae, de singulis damnis, tam in rebus Abbatis per ipsos Dominos Duces Seniores, & Iuniores, ac suos Officiales, seu Nuncios qua occasione illorum, post dictam sententiam illatis, iuxta declarationem, & dictamen per ipsum Reuerendissimum Patrem, Dominum Cardinalem, & Legatum fiendum, post informationem à magnifico, & excelso Domino, Domino Brunorio de la scala, &c. pro nunc præfati Serenissimi Principis, Domini Regis, per *Bauariam* Capitaneo generali, ac strenuis, & nobilibus viris, *Syfrido Marschalk*, Magistro Curia eiusdem Domini Ducis *Ludouici* Senioris, ac *Wienaldo Schrueller*, ac *Ioanne Gumpenberger*, recipiendam, de prædictis damnis, ab Officialibus ipsorum Dominorum Ducum, ac Colonis, & hominibus aliis ipsorum Dominorum Abbatis, & Conuentus, nec non per alias probationes, & relationes ipsi Reuerendissimo Patri, Domino Cardinali, & Legato faciendas. Tertio; quòd ipse Dominus *Brunorius*, *Syfridus*, *Wienaldus*, & *Ioannes* promittere bona fide debeant, quòd ad hanc informationem, & relationem, infra hinc, & festum, sancti Martini Episcopi proxime futurum facere habeant, & recipere. Quibus sic peractis, & ipsis hinc inde partibus adhuc ibidem, personaliter constitutis, dictus Dominus Dux *Ludouicus* Iunior principalis sui, & procuratorio nominibus, quo supra, omnia grauamina, de quibus supra, mentionatur, verbo reuocauit, promittens ibidem, eadem, indilate factò, & opere pro viribus totis reuocare, nec non sui ipsius, & quo supra, nominibus

procura-

procuratorio, in manibus dicti Reuerendissimi Patris Domini Cardinalis, & Legati ad sancta Dei Euangelia corporaliter tactis scripturis sacrosanctis, promisit & iurauit, omnia alia & singula superius in primo, & secundo articulis contenta, & narrata, firmiter, & absque vlla dilatione obseruare, & obseruari facere. His autem factis, supradicti Dominus *Brunorius*, & *Wienaldus* ibidem presentes, ipsi Reuerendissimo Patri, Domino Cardinali, & Legato, dictas informationem, & relationem infra tempus supradictum recipere, & facere, bona fide promiserunt, & eorum quilibet promisit. Huiusmodi vero omnibus, & singulis sic perpetratis, dictus Reuerendissimus Pater, Dominus Cardinalis & Legatus, a supradictis Excommunicationum, aggrauationum, & reaggruationum sententiis, antefatum Dominum Ducem *Ludovicum* Iuniolem id pro se principaliter, & procuratorio nomine, quo supra, pro sue genitore supradicto, flexis genibus humiliter petentem, nec non omnes alios, & singulos suos in hac parte complices, generaliter in dictis sententiis expressos, prelibato Domino *Craftone*, quo supra nomine, ex aduerso ibidem presente, & in hoc consentiente, nec non prius de stando Iuri, & parendo S. Matris Ecclesie, & ipsius Reuerendissimi Patris, Domini Cardinalis, & Legati mandatis, ab ipso Domino Duce *Ludovico* Iuniolem, suo, & procuratorio nominibus, quo supra, ad sancta Dei Euangelia corporaliter tactis scripturis sacrosanctis, per ipsum Reuerendissimum patrem, Dominum Cardinalem, & legatum iuramento recepto, auctoritate supradicta: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti duxit absolueudos, & absoluit, in iuncta inde sibi, & dicto suo Genitori pro modo culpa, poenitentia salutari: aliorum autem in dictis sententiis excommunicationis specialiter expressorum absolutionem in forma Ecclesie consueta religioso fratri *Conrado* Custodi fratrum Minorum, in Oppido *Ingolstatt*, *Eistetenstis* diocesis, absentibus ibidem, tanquam presenti, dicta plenarie commisit auctoritate. Nec non idem, Reuerendissimus Pater, Dominus Cardinalis, & Legatus interdictum occasione sententiarum, excommunicationum, aggrauationum, & reaggruationum predictarum, ad dictorum Dominorum Abbatis, & Conuentus instantiam, & contra ipsos Dominos Duces, & suos in hac parte complices, in quibuscunque locis, quacunque auctoritate positum, eadem auctoritate duxit relaxandum, & relaxauit, sub re intrusionis poena ipso facto in dictas excommunicationum, aggrauationum, & reaggruationum, & interdicti sententias, vigore dictae sententiae, & processuum inde secutorum in predictos latas, si ea, quae predictus Dominus Dux *Ludovicus* Iunior iurauit, & promisit, per suum Genitorem antedictum, & ipsum dolo, & fraude seclusis, cum effectu non obseruabuntur. Insuper vero dictus Reuerendissimus Pater, Dominus Cardinalis, & Legatus, per expressum declarauit, quod per ordinata supra per eum, & declarata commissioni, quam Dominus *Brunorius* supradictus sibi super recognitione Regalium dictarum hinc inde partium per supra fatum Serenissimum Principem, Dominum Regem Romanorum asseruit fore factam, praedictare, neque derogare non intendit. De, & super quibus omnibus, & singulis, dicta hinc inde partes sibi a me Notario publico infra scripto, vnum, vel plura publicum, seu publica fieri petierunt Instrumentum, siue Instrumenta & earum quilibet petit, nec non in maius robur omnium praemissorum, dictus Reuerendissimus Pater Cardinalis, & Legatus suum iussit inferius sigillum appendi. Acta fuerunt haec in dicto oppido *Ingolstatt*, in hospitio dicti Reuerendissimi Patris, Domini Cardinalis, & Legati, sub anno, Indictione, die, Mense, & Pontificatu, quibus supra, presentibus ibidem Venerabilibus, & circumspicis viris, Dominis, Iuliano de Casarinis, Basilicae Principis Apostolorum de vrbe Canonico, vtriusque Iuris

Doctore, dicti Domini nostri Papae Capellano, & ipsius sacri Palatii Apostolici
causarum auditore, & Wilhelmo Kircher Decretorum Doctore, nec non Ma-
gistro Iacobo de Janua, fratre ordinis praedicatorum, in sacra pagina professore,
ac honorabilibus viris, Dominis Ioanne de Capellis, dicti Reuerendissimi
Patris Domini Cardinalis, & Legati Capellano, & Bartholomaeo Musca, ciue Ia-
nuensi, supradicti Serenissimi Principis Domini Romanorum Regis familiari,
testibus ad praemissa vocatis specialiter, & rogatis. Et ego Rolandus Phibbe, Cle-
ricus Osnaburgensis, Publicus, Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius,
quia praemissis omnibus, & singulis, dum sic, vt praemittitur, per supradictum
Reuerendissimum Patrem Dominum Cardinalem, & Legatum, & coram co-
ficient, & agerentur, vna cum praenominatis testibus, praesens interfui, eaque
sic fieri, vidi, & audiui, Ideo praesens publicum instrumentum, per alium fide-
liter scriptum, exinde confeci, subscripsi, & in hanc formam publicam redegi,
signoque & nomine meis solitis, vna cum appensione Sigilli dicti Reuerendis-
simi Patris Domini Cardinalis, & Legati signavi, rogatus, & requisitus, in fidei
& testimonium omnium, & singulorum praemissorum.

CATALOGVS ABBATVM CAESARIENSIVM.

- VDALRICVS I. de Lucellenfimonasterio, el. an. 1134. an. 21. ob. an. 1155. die 11. Martij.
CONRADVS I. el. an. 1155. praef. an. 10. ob. an. 1165. die 14. Martij.
DIETHELMVS I. el. an. 1165. praef. an. 9. ob. 20. Jun. an. 1174.
ALBERTVS I. an. 1174. praef. an. 19. ob. 30. Sept. an. 1194.
EBO I. el. an. 1194. praef. an. 16. ob. 7. Septembr. an. 1210.
CONRADVS II. el. an. 1210. praef. 18. ob. 26. April. an. 1228.
HENRICVS I. el. an. 1228. praef. an. 11. ob. 7. Octobr. an. 1239.
RICHARDVS I. el. an. 1239. praef. an. 12. ob. 4. Iul. 1251.
VOLWICVS I. el. an. 1251. ob. an. 11. ob. 16. Decembr. an. 1262.
HENRICVS II. el. an. 1262. praef. an. 4. resignauit 18. Octobr. an. 1266. factus suffra-
ganeus Augustan.
TRATWINVS I. el. an. 1266. praef. an. 21. ob. 14. Sept. an. 1287.
HENRICVS III. el. an. 1287. praef. an. 15. ob. 20. Maij. an. 1302.
IOANNES I. el. an. 1302. praef. an. ob. 25. Octobr. an. 1320.
VDALRICVS II. el. an. 1320. praef. an. 19. ob. 4. Sept. an. 1339.
VDALRICVS III. el. an. 1339. praef. an. 21. resign. an. 1360. ob. 31. Decemb. an. seq.
IOANNES II. el. an. 1360. praef. an. 19. ob. 3. Martij. an. 1379.
IOANNES III. el. an. 1379. praef. an. 21. ob. 25. Maij. an. 1400.
IOANNES IV. el. an. 1400. praef. an. 22. ob. 24. Aug. an. 1423.
CRAFFTO I. el. an. 1423. praef. an. 4. resign. an. 1427. ob. an. 1430. 7. Febr.
LEONHARDVS I. el. an. 1427. translatus est an. 1440. ob. 22. Sept. an. 1447.
NICOLAVS I. el. an. 1440. praef. an. 18. ob. 22. Sept. an. 1458.
GEORGIVS I. el. an. 1458. praef. an. 21. ob. 8. Decemb. an. 1479.
IOANNES V. el. an. 1479. praef. an. 11. ob. 3. April. an. 1490.
GEORGIVS II. el. an. 1490. praef. an. 19. ob. an. 1509.
CONRADVS III. el. an. 1509. praef. an. 31. ob. 6. Nouembr. an. 1540.
IOANNES VI. el. an. 1540. praef. an. 31. ob. 28. Nouembr. an. 1575.
VDALRICVS IV. el. an. 1575. praef. an. 11. ob. 14. Aug. an. 1586.
GEORGIVS III. el. an. 1586. praef. an. 3. ob. 11. Febr. an. 1589.
DOMINICVS I. el. an. 1589. praef. an. 5. ob. 6. Ianuar. an. 1594.
SEBASTIANVS I. el. an. 1594. praef. an. 14. ob. 15. April. an. 1608.
IOANNES VII. modernus Abbas. elig. an. 1608.